

I. N. J.

CHARMOSYNA PALLADIA;  
VIRO CLARISSIMO,

Dn. M. Friderico Viccio, Uratisl.

Poët. Laur. Cæsar.

Gymnasii Patrii ad D. Mar. Magdal.

CONRECTORI & PROFESSORI

longè dignissimo;

Florentissimæq; & Moratissimæ VIRGINI,

MARIÆ, OSTENO-SCHROEERIÆ;

Reverendi plur. Clarissimiq; VIRI,

DN. M. BALTHASARIS OSTEN,

Symmystæ ad D. Elisabethæ quondam meritissimi,  
ex FILIA unicâ NEPTI;

Reverendi itidem, Doctissimiq; VIRI,

DN. COELESTINI SCHROEERI,

ad S. SALVATORIS Ecclesiastæ,

& Gymnasii Elisabethani Collegæ,

complures per annos fidelissimi,

FILIÆ, ex priori Conjugio UNICÆ;

LECTISSIMIS NEONYMPHIS,

ad D. IV. Novembr. Anni cl<sup>o</sup> Isc LIX.

Uratislaviæ solemniter conjugandis,


ex ipsâ Fide benè ominantis Animi,

LL. LL. Q. sacrant

COLLEGÆ.

VRATISLAVIÆ,

Typis Baumannianis, exscripsit GOTTFRIDUS GRÜNDER.



**V**ertit Tetraëteridos  
 Elapsæ spacium jam ter, amabilis  
 Ut sacro à Thalami Festo, operas ad Scholicas redux,  
 Omni Discipulos fide  
 Complexus monui; perbenè penderent,  
 Quæ Vitam faciant à teneris undiq; prosperam;  
 Nasci nempè benè: hinc benè  
 Conjungi Sociâ: tandem, obitâ morte, benè emori,  
 Et Tu vivis adhuc memor  
 Perfidi Moniti; Melpomenes piæ,  
 Et doctæ Eusebies dulce Decus, nobile Corculum,  
 Nunc COLLEGA mihi date:  
 Dum, curante DEO Præstite, jam Tibi  
 Triplex Prosperitas, digna cani, contigit affatim?  
 Næ, jam Discipulis tuis  
 Exemplo esse potes sat memorabili:  
 Omnino ut statuant, ex animo recta monentibus  
 Parenti, benè cedere,  
 Quæ sisus DOMINO suscipit, Omnia.  
 Tu ter prosper oves, præterita post bona cætera  
 Vita, Conjugio bono: 1018393  
 Et casti capias Pectoris uberes  
 Fructus, SCHROEERIA CUM SOCIA: dum satura ævitas  
 Annorum, benè terminet;  
 TE Cælo quadruplex Prosperitas beæ.  
 Terris intereâ quadruplici fungere Munere



Prosper; Christicolæ pii,  
Doctōris Juvenum conspicui fide,  
Confortis placidi; Et, cum Sobolem FORA dabit, Patris.

Ità Vovet πανδομαδὸν

M. VALENT. KLEINWECHTERUS,  
Gymnas. Vratislav. Mar. Magdal.  
Rector & Profesor.

**Q**uod Scholicam deamas, doctissime, Sponse Puell-  
Fœdus, quod sancis, conjugiale probat. (lam;  
Ordinis es nostri, contemtor at ordinis haud es  
Nostri: laudo tuum dulcis amoris opus.  
Et Sponsæ Genitor teneram formare Juventam,  
Et Sponsus didicit: vos paritate pares.  
Quæ licet in gradibus paritas varietur, in ipso  
Imparitas socio non datur ulla Toro.  
Quos paritas mentis, paritas quos ordinis unit,  
Sibenè conveniunt; ut benè conveniunt!  
Næ benè vos itis, Par tàm-par nubile, nuptum:  
Par tàm-par pariat, sunt mea vota, pares.  
Disuasor thalami, contemtor & ordinis hujus,  
Cui sumus exiguæ nos levis umbra rei;  
Cristatas jactet pennas: Scriptoria penna  
Omnibus in Mundi laude vehenda locis:  
Quam qui postponit, Docti non nomen habebit:  
Inter honoratos nec numerandus erit.  
Par tàm-par longùm benedicto Numine vivat:  
Vivat honore pari, vivat amore pari:

Et nova materies gratandi surgat Amicis,  
Cum dabit ex parili Sponsa calore pares.  
Mascula seu fuerit Proles, seu blanda Puella,  
Utraq; chara venit, quæ paritate venit.

*Quæ Vota,*

*Et non fucata dilectionis Symbola,*

**NUPTIIS VICCIO-SCHRÖERIANIS,**

*ex fido Sinceritatis adfectu  
oblata & consecrata*

**WOLGANGO STIRIO, Svidnicienſi.**

---

**Magister Fridericus Viccius**

*diva vequianodis*

Cur fugis? Mater dici? vici, eris.

**U**T Viccius, Scholæ nitens Lux Magdalæ,

*Vires gravi solidet labore saucias,*

*Et gaudio Mentem decente recreet,*

*Vitæ sibi legit jugalis Comparem,*

*Epurpurâ florentiore Virginum.*

*Quam blandus hoc compellat Oris Schemate:*

*Te deligo, Te deligo Schrœeria,*

*Me deligas, Me diligas rursus peto.*

*Mea si Tibi placet Voluntas, annue,*

*Et, cum DEO, quem molliter jam construit*

*Nobis Amor, conscende Nupta Lectulum.*

*Ab cur fugis? fugisne Mater Pignorum*

*Dici? DEI ne sperne Patris Ordinem,*

*Quem qui fugit, DEO placere defugit.*

*Quid*

Quid nunc ais? quid? annuis? sic, annuis,  
Vici! Meum, sis, ergo Corculum veni  
Te deligo, Te diligo penitis fibris,  
Me diligas, Me diligas totum Tuum.  
Næ si DEUS, quod oro, quod Votis peto,  
Indulserit, quæ non fuisti, nunc eris.  
Eris mihi fecunda Mater Pignorum,  
Quæ masculus commendat & sexus sequior,  
Quæ Me Patrem, Matremq; Te, nec non Avos  
Binos replebunt mille sæpe gaudiis.  
Tu fac pio modò Vota Mecum Pectore,  
Ut consonæ Nobis Sorores præbeant,  
Manu favente, longa Vita stamina,  
Torusq; noster conjugalis undiq;  
Aurâ ferveri se supernâ sentiat.  
Votis inesse pondus his concedat Is,  
Qui vota solus firma novit reddere.

Novis Nuptis fausta quæque  
apprecans f.

M. CHRISTOPH. Schults/Noviforensis.

Cœlibe qui Virâ gaudens ad tempus, abinde  
Ceum monachus semper nec tamen esse cupit;  
Sed statuit non esse bonum, sibi proficuumq;  
Solum Hominem; haut dubiè rectius ille sapit,  
Præsertim Juvenis Patrii non degener oris  
Dum cupit uxorem ducere ritè probam.  
Næ felix talis mihi, Sorte favente putandus  
Est & erit; modò qui dispicere ante queat,

Num pia, num prudens, formosa, pudica, fidelis,  
Aucta Bonis & sit Corporis ac Animi.  
Præcipuè quod non postremum ducitur esse,  
Fortunæ an multis accumulata Bonis.  
Namq; Procis sine Re vulgò, sine dote videtur  
Haut adèò felix Conjugium absq; Bonis?  
Et quidni? Bona Dos animum addit, & insuper auget  
Rem, faciens Sorte & sic meliore frui.  
Scilicet hoc prudens mentis, rationis, & artis  
Consilium esse solet, commoditate juvans,  
Consilium felix haut immeritoq; vocandum;  
Et felix Juvenis, qui modò tale capit.  
Ergo Te Sponsum felicem, Clare Magister,  
Dicier hinc etiam quis dubitare velit?  
Quisve negare queat, mentis, rationis & artis  
Consilii eventum Te obtinuisse bonum?  
Prospiciente DEO, talis sic Sorte Puella  
Obtigit en! qualis fortè perita, Tibi.  
Hinc meritò felix, Gallinæ Filius albæ es:  
Nam Fortuna favet; Te DEus Ipse fovet.  
O fiet hoc felix, quod in isti fœdus amoris,  
Et videas Thalami pignora multa tui!

gratulabund. fac.

DAVID PIGRITIUS Parchvicensis.

---

Lux hodiè quoniam, Fiscis, Te lata salutat,  
Bella Puella tuum quâ venit in Gremium;  
Gratulor ex animo: semper Concordia duces,  
Castus & in casto Pectore duces Amor.

Duces

*Duret Amor ; stabiles Thalami , Deus optime , Risus  
Fac, sint. \* Felices vivite , duret Amor.*

*CASPAR NÆVE, Fridebergensis.*

**Q**uòd Tibi ritè favet Coelum , Clarissime Vicci,  
Gratulor, & Tecum gaudia percipio.  
Floret adhuc Ætas , solidæ stant Robore vires ;  
Non, quas fregit Onus, Mensq; Manusq; labant.  
Hac scholici Partes es jusus adire Laboris,  
Quèis suetus Senior ferre deindè potes.  
Hac Ætate datur juvenem quoq; jungere Sponsam  
Connubio, quod item dicitur esse Schola.  
Spartam, tam iusto, quam tempore nactus utramq;  
Exornes iusto, quo decet, opto, modo.  
Nec dubium. Quicumq; fuisti gnavus in illâ  
Hæctenus ornandâ ; segnis in hâc nec eris.  
Hinc non spernendi Fructûs utrinq; sequentur,  
Dante DEO. Brevibus sic mea Vota fero.

*GEORGIUS Hüller/Boleslaviensis.*

**S**int tibi, sintq; tuæ Sociæ faustissima , Vicci,  
Ut bene succedant, singula vota tori !  
Provida Cura DEI, quæ vos sociavit amantes,  
Vos regat, ac omni prosperitate beet !  
Vivite felices, concordî vivite sensu,  
Ut thalami crescat fructibus ipsa domus.  
Sic voveo ex animo : Votis Deus annuat Unus.  
Jova piis votis pondus inesse jubet.

*JOHANNES Siebenschuch/Hirschberg.*

**C**ollaudent alii Mavortia Signa Gradivi,  
Et Gens pro Spicis Spicula sava legat.

*Flet*

*Flet victor, victusq; perit plerumq; peracto  
Congressu, & miles damna referre solet.  
Te laudo, Vicci, Venerem quod masculè adorius,  
Victor ubi gaudet, victaq; nulla perit.  
Dux in amore Deus, cum Spica rura beabunt,  
Victori, & Victa læta tropæa ferat!*

*Sic cordicitus gratulat.*

*THEODORUS PARICIUS, Vratislaviensis.*

---

**C**eu Tu Magdalicæ Conrector Gymnados audis;  
Sic Conrectricem quæris, Amice, Tibi.  
Tu laudabiliter Clariam, Tu rite, Juventam  
Con-regis, Aoniam nec sine fruge domum.  
Sit simul hæc domui Conrectrix sedula privæ!  
Publica sic benè, sic res benè priva fluet.

*CAROLUS Xhenisch/Uratislaviensis.*

---

**A**Urea, qui pos sunt, Neonymphis munera donent:  
Ast Ego, more pio, prospera vota fero.  
Vivant felices, mentes Concordia firmet,  
Una sit ambobus mens, sit & una salus!  
Hoc firmum reddat votum divina voluntas,  
Offero quod nuptis pectore & ore novis.

*LAURENTIUS HEIDENREICH,  
Uratislaviensis.*

